

## EXERCITATIO LXXXV.

*Continuatio Dialogi, ubi de primo gradu sensus in specie, hoc est, de organi corporei motu.*

I. Qu. **D**Uæ sunt partes hominis, *Anima immaterialis & intellectualis, & Corpus materiale & cognitionis expers.* Quoties homo verè videt ac sentit, manifestum est non corpus tantum affici, verum etiam animam simul operari, adeo ut hæc affectio homini competat ratione corporis & animæ simul, perinde ut fames, sitis & similia.

2. Sed priusquam anima in sensationis actû operetur, necessum est ut corpus moveatur sive afficiatur ab eo quod videri dicitur. Inde vulgatum: *objecta movent sensus* & Arist. 2. de Anim. cap. 5. omnem sensum in motione consistere docet, *Fit, inquit, sensus cum movetur atque patitur aliquid.* Legatur in hanc rem caput totum.

3. Ut autem diversæ sunt partes corporis in quibus est motus (oculi, aures, manus, lingua &c.) ac diversa objecta variis modis moventia (aliter enim movet lux solis, aliter murmur aquæ, aliter calor ignis, aliter dulcedo mellis) ita etiam di-